



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

[De Natvrali Ex Vngvivism Inspectione Praefagio comment.]

Baldi, Camillo

[Bononiae], 1629

Quale sit captum ex vnguibus praesagium. [Cap. XII.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-13286

gni esse credent, ex aduerso quorum vngues molles sunt, & læues, flexibilesque, & tenues ad foeminas referimus, timidique, & imbelles erunt, & superstitiosi, & honorum cupidi, & auari, frigidioris enim & humidioris cerebri naturam indicant, & quoniam hanc habent naturalem frigiditatem cerebri, ideo timidiore sunt, & quoniam spiritus tenuiores, ac materia cerebri subtilior, ideo etiam ambitiosi, & ingeniosi sunt, frigiditas timorem inducit, timoris filia est auaritia, & perspicacia, & calliditas, nec non & mendacium, timent enim auari semper ne egeant, & qua ratione suæ cupiditati, & timori succurrant, continue cogitant, & hoc est quod astutiam, & ex astutia suggerit mendacium, & semper se egere arbitrantur, & quoniam sunt læues id docet humiditatem præualere, quæ mollitiei est causa, & propterea quod cerebri materia subtilis, at tenuis est, ideo dant aures omnibus, vt etiam iudicentur creduli, sunt etiam instabiles, & qui fidem non seruent, & quibus credere vel iuratis non possis; humidi enim proprium est alienas, & externas qualitates prompte suscipere, & prompte deponere susceptas.

Quale dicatur ex vnguibus presagium. Cap. XII.

Non putandum est autem, quod simulatque aliquis vngues molles, aut duros habuerit, illum necessario esse talem, qualem diximus, etiam si vnus, & alter talis apparuerit, si quidem vna hyrundo non facit ver, & testis solitarius non putatur plene probare; oportet plura signa concurrere ad hoc vt secure aliquid asseri possit; Quin neq; id sufficit, quoniam educatio, lex, consuetudo, sodalitia, regio, & quam plura alia sunt, quæ nos naturamque nostram peruertunt, & alterant; Et quidquid à Phifico, siue Phisio-gnomo enuntiatur de habitibus, & virtutibus, & vitijs non asseritur, sed tantum dicitur, Socratem habere propensionem ad hæc, vel illa vitia, vel virtutes non dum tamen habitam acquisisse; Et qui plurimū temperamento tribuunt,

non puto, id ex vnguium inspectione perfecte cognoscere posse, & dato quod per vngues cerebri cognitio haberetur, non sufficeret, ad habendam temperiem totius corporis Socraticis; cum & cor, & epar suas sibi vendicent partes, neque testes omnino sint in vtilis ad vniuersalis temperamenti constitutionē, cum videamus eunuchos, & euiratos in corporis fœminilis naturam mutari. Verum enim vero neq; ego valde in nobis posse temperamentum arbitror. Hoc enim potius hominis esse videtur materiale principiū quā formale, formæ autem tribuuntur operationes, quarum ipsa principum est, dicitur enim natura quæ causa motus est per se, & primo. Et dato quod temperies saperet aliquid formale, profecto simularium partium, non autem organica rum esset forma, at organa, siue membra proprie sunt principia operationum instrumentalia, & processus hic est, vt ex prima materia quæ pura potentia est, fiant elementa, ex elementis simularia corpora ex his dissimularia, & organica, quæ deinde certarum operationum cum sint præcipua instrumenta ex harum iteratione generantur in nobis habitus, per quos deinde dicimur tales, ex quib. apparet si quid actionis nobis suppeditat temperies, illud & materiale est, & valde remotum. Quod si temperies materiam dicit potius quam formam, & si quam significat eam remotam infert; & forma magis dicitur natura quam materia, manifestum est temperamento non omnia esse tribuenda, quod tamen quibusdam, & ijs doctissimis viris valde probabatur; Quod si quis intellectum, qui vel est forma humana, vel eius portio, contemplabitur, quem ponunt esse puram potentiam, & nihil actu, profecto cognoscet temperiem parum vel nihil in homine valere, quoniam si ad aliquam partem contradictionis magis inclinatus foret non esset pura potentia, quemadmodum suppositum est. Quare non magis hoc quam illud aptus est recipere noster intellectus, neque hoc quam illud magis cognoscet, quare neque ad hoc, quam ad oppositum propensior, erit appetitus, si quidem
nihil

nihil appetitur nisi cognoscatur, neque cognoscitur ab homine quidquam sine intellectu, qui eminenter continet omnes inferiores potentias, sicuti moneta aurea vna plurimas argenteas, & aeneas comprehendit; Quid si quidquam videris, aut audieris neque visa, aut audita intellexeris, nisi illis quoque mentem adhibueris; certum est, neque appetitus excitabitur, neque localis motus in nobis incipiet praesertim, nisi forte dormiuerimus, aut mente non constemus. Quam parum igitur credendum sit temperamento, & longe minus vnguibus, ex his manifestum, quoniam omnis nostra dispositio, habitus, atque actio, & electio extrinsecus habet ortum, neque magis anima nostra ad haec, quam ad opposita disponitur; Quod si videatur difficile, ut credatur, cum doceat experientia quosdam iisdem auditis conuitijs, ridere, alios vehementer irasci, cumque idem obiectum eandem specie potentiam diuersimode afficiat, necessarium est illam esse diuersam, & cum haec diuersitas non sit secundum formam oportet esse secundum materiam, atque eam non remotam, sed ita affectam, quam dicimus temperamentum, accidere enim videtur homini, quod gladio, qui quauis sit ferreus, & habeat aciem subtilissimam, at tamen bene non secabit, si nimis mollis sit materiae ferreae temperies, ex qua constat; His puto respondendum esse; Certissimum esse, quod nihil in mente reperitur, quod idem non fuerit in sensu, idque mens recepit, vel per sensum, vel non sine sensu, sed quae in nostra mente, atque animo existunt alia nobis animaduertentibus veniunt, alia sensim, & insensibiliter obrepunt; talis est species idiomatis, quo utimur, non quidem inuitis, at tamen non aduertentibus accidit loqui hetrusce, aut Italice; & qui propter sodaliria ad vinum, & venerem plus a quo videtur factus propensus, ille tamen talem subire se non sensit propensionem, adeo enim a teneris assuescere plurimum est; Quidam igitur mores, & habitus, ita sensim, & inmanifeste nobis adueniunt, quidam alij ceu scientiae, & artes volentibus, & sentientibus accedunt, cui sententiae

tentiæ assentiunt etiam diuina eloquia, quæ dicunt, si cum bono versaberis bonus eris, si cum prauo peruerteris. Sicuti fumanti candelæ facillime ignis accenditur, ita puerorûm ætas mores, & actiones, quas facere viderit, etiam si non advertat imitatur; Imitatio enim est species quædam perfectionis nostri intellectus tentantis de illa sua pura potentia ad aliquem actum exire. Quod igitur eadem contumelia vehementer hic irascatur, alter rideat, causa est diuersa dispositio, aut habitus, sensim, & sine sensu generatus. Non ob id tamen negarem quin temperamento aliquid, non tamen omnia, sint concedenda.

Quid alia tactiles unguium indicent differentia.

Cap. X . I . I . I .

Sed iam ad partem alteram suscepti negocij, aut ioci reuertamur, & quid de vnguibus dixerint chyromantæ duris, atq; mollibus, referamus, ab his tamen non expectanda est suorum dictorum confirmatio, quoniam neque rationem, neq; experientiã habent, quibus sua placita adstruant; Hæc autem à me afferuntur, vt ab horû superstitionibus, & præstigijs animi nostri soluãtur, ne vè relicta luce tenebras amplectamur. Duros vngues aiunt esse proprios hominum obstinatorum, & crudelium, quodque erunt homicidæ, & præcipue sæuiet in vxores, fratres, & domesticos, quod mortem violentam subibunt, quod latrôcinia exercebunt; Quod sunt impij, & parum admodum religiosi, quales dicunt esse pyratas, & maritimos milites; si molles fuerint vngues in masculo, præ posteræ libidini daait operam, si fuerit mulier, impudica fiet meretrix, & à propinquis, suam turpitudinem pati non potentibus occidetur, multos illa habebit amâsios, multos amabit, & propter suam lasciuiam ad inopiam redigetur, sapissimæque decipietur, neminem amabit pudice, non filios non fratres, non maritos, quos putabit propter sua vitia sibi infestos; Hæc illi nullam rationem